

Gallicæ classi præsto sit. Henrico quin etiam Angliæ Regi catus Pontificis significatur, Oratorique iungitur, omnem curam, diligentiamque adhibeat, quo tandem Rex fœdus amplectatur. Cum Pontifice vero Senatus gravissimis verbis illatas injurias, jus violatum, religionem proculcatam conquestus est; quæ cum Gallo, atque Anglo per oratores suos agi iusserit, aperuit; ne lætos, atque de suis contumeliis exultare hostes diutius patiat; præsertim cum Horatium Floridum cum literis Urbinas Venetias misisset, quibus Senatui significabat, Cæsareanos mensem ad Cremonam dedendam pactos, duodecim ea de causa obsides dedisse; quos fœdifragos semel Pontifex invenerit, iis salutem suam, imperiique incolumitatem credere, rem periculi admodum plenam esse. Quo officii genere Clementis animum, veluti fluctibus agitatam, sedare conabantur.

Verum ex Pontificis induciis multa detrimenta subsequuta sunt; nam quamvis Salassiorum Princeps, qui cum copiis fœderato exercitui se adjunxerat, victoriæ spem afferre debuisset; eam tamen penitus sustulerat copiarum Pontificiarum discessus, quæ Placentiam se receperant. His accessit, quod cum Veneti exercitus Imperator mensem ad Cremonæ deditionem prorogasset, non exigua Venetorum militum manus tempus frustra terendo circa mœnia urbis distinebatur; quo fiebat, ut remissa Mediolani obsidione, quam ingenti spe fœderati aggressi fuerant, Cæsareani non modo metu soluti, & ab incommodis liberi essent; verum circumjacentes depopularentur agros, ac quotidie maximam commeatus copiam in urbem conveherent. Eadem de causa nihil egregii mari gerebatur, Andrea Auria ex præscripto Pontificii fœderis cum sua classe profecto: petentibusque Petro Navarro, & Aloysio Armerio legato pro Genuensi expeditione copiarum terrestrium partem ad Genuam terra, marique oppugnandam, cunctatione vires maritimæ frangebantur. Urbinas, Cremona recepta, quam statim Senatus Francisco Sfortiæ tradi mandaverat, consequutam rerum mutationem cœptis haud respondere animadvertens, neque armorum vi expugnari neque rerum inopia adigi Mediolanenses ad deditionem posse: ab urbis mœnibus abscedere cum exercitu, Modoetiamque munire statuit,

*Cremona
Senatus
mandato
Sfortiæ
tradita*

ibi-